


3  
INDVLGENTIÆ  
ET GRATIÆ;

# CONCESSÆ

à S. D. N. PAVLO PAPA

QVINTO, IN GRATIAM

REVERENDISSIMI ET ILLV-  
strissimi Principis ac Domini, Domini  
WOLFGANGI, Episcopi Ratisbonen-  
sis, Præpositi ac Domini Eluacen-  
sis, &c. Coronis, Resarijs, Num-  
mis & Imaginibus Be-  
neditis:



INGOLSTADIL.

*Apud Andream Angermarium.*

---

M. D. CX.

---





I.

**O**N C E D I T sua Sanctitas vni-  
cuiq; portanti aliquod ex prædi-  
ctis rebus benedictis, aut oranti  
post vnam è prædictis imaginibus, ac di-  
centi Officium B. V. aut Officium defun-  
ctorum, aut septem Psalmos pœnitentia-  
les, aut coronam, aut tertiam partem Ro-  
sarij, omnes Indulgentias, quæ eo die ac-  
quiri possent, visitando omnes Ecclesias  
intra & extra muros yrbis Romæ.

II.

Quoties quis confessus & communica-  
tus orauerit D E V M pro sua sanctitate, pro  
exaltatione sanctæ Matris Ecclesiæ, pro hæ-  
resum extirpatione, consequetur indul-  
gentiam plenariam.

III.

Concedit, vt sit particeps omnium  
sacrificiorum, & omnium ieuniorum, &  
operum piorum, omnium, & qualiumcun-  
que religionum, non secuſ ac ſi membrum  
eſſet singularum & vniuersarum, dum mo-

A 2 do

IN DVLGENTIA

do in orationibus suis D E V M roget pro  
illarum augmento: & conseruatione.

IV.

Quoties quis fecerit examen con-  
scientiae, dolens de peccatis suis cum pro-  
posito confitendi , consequitur remissio-  
nem tertiae partis omnium suorum pecca-  
torum.

V.

Quoties quis transiens crucem , aut  
quamcunq; imaginem C H R I S T I : B . Dei  
Geneticis, aut aliorum Sanctorum, reue-  
rentiam eisdem exhibuerit , vel caput ape-  
riendo , vel se inclinando , lucrabitur cen-  
tum annos Indulgenciarum.

V . I.

Quotiescumque quis in die se D E O  
commendauerit, aut mentem in ipsum ele-  
uans, ei pro acceptis beneficiis gratias ege-  
rit, consequetur centum annos Indulgen-  
tiarum.

V . I I.

Quotiescumque quis missam audiue-  
rit, aut prædicauerit, aut iejunauerit, aut  
Ecclesiam inuisens ante sacro S . Sacramen-  
tum orauerit, aut opus aliquod misericor-  
diaz præstiterit , consequetur centum an-  
nos Indulgenciarum. Faciens autem ali-  
quid

quid ex' iam memoratis, idque offerens  
pro fidelibus defunctis in purgatorio de-  
tentis, ducentorum annorum indulgen-  
tias consequetur.

## VIII.

Quotiescumque quis dixerit Pater, &  
Aue, aut Psalmum Laudate D O M I N V M,  
aut Psalmum Deprofundis, aut Magnificat,  
supplebit omnes ac singulos defectus in  
diceando, vel audiendo missam, aut in offi-  
cio diuino, aut in alio opere spirituali, siue  
ex obligatione, siue ex deuotione, facto  
commisso.

## IX.

Quicunque in articulo mortis bene-  
dicētum nomen I E S V O R E, si id non possit,  
saltem corde inuocarit', consequetur indulgentiam plenariam.

## X.

Quotiescumque quis visitauerit Ecclē-  
siā, aut commode non valens perficere,  
in priuato suo oratorio dixerit ter Pater, &  
ter Aue Maria, in honorem sanctissimæ  
Trinitatis, pariterque orauerit pro hære-  
sum extirpatione, exaltatione S. Matris Ec-  
clesiæ, Christianorumque Principum con-  
cordia, & pro summo Pontifice, lucra-  
bitur indulgentias stationis vrbis Romæ  
eiusdem dici, & dicendo Psalmum de pro-

fundis, eandem indulgentiam applicare poterit fidelibus defunctis.

## XI.

Quicunque fidelium dederit bonum exemplum, aut aliquem ad bonum exhortatus fuerit, aut quomodo libet causa fuerit ut aliquis desistat ab aliquo peccato, vel vitio, vel malo proposito, consequetur remissionem tertiae partis omnium suorum peccatorum.

## XII.

Quicunque Confessus & communicatus dixerit septies Salve Regina, cum oratione, & versiculo consuetis, vel hanc orationem recitare non valens, aut sciens, eius loco dixerit septies Ave Maria, & pro exaltatione fidei Catholicæ DEVM orauebit, consequetur plenariam indulgentiam.

## XIII.

Quotiescumque quis communicauerit, aut sacrae Missæ officium celebrauerit, recitando unum Pater, & Ave, singulis viciis liberabit animam ē purgatorio.

## XIV.

Quotiescumque quis confessus, & sacra communione refectus, laborauerit, pro hereticorum, ad gremium Ecclesiæ reductione, vel concionando, vel docendo, ac disputando, vel suadendo, atque consulendo,

do, aut hæretica loca reformando, conseq-  
uetur plenariam indulgentiam.

## XV.

Quotiescumque quis hæreticum ad  
gremium Ecclesiæ reduxerit & confessus  
communicauerit, indulgentiam plenariam  
consequitur, & dicendo ter Pater, & Ave,  
vel ter Psalmum Deprofundis, vel Psalmum  
Miserere, liberabit per modum suffragij  
animam è pœnis purgatorij.

## XVI.

Concedit insuper sua Sanctitas, ut  
omnes supradictæ gratiæ vel qualescumque  
ex his, possint applicari animabus in purga-  
torio existentibus, atque ut quis præfatas  
indulgentias consequatur, sufficiat una ex  
supradictis rebus benedictis, siue propriis,  
siue ab alio accommodata, & si aliqua ex  
his rebus frangeretur, aut perderetur, utram  
solam alia vice eius loco substituere liceat,

quæ easdem indulgentias & gratias  
habeat, Atque ut hæ indulgen-  
tiæ valeant per totam  
Germaniam.

2. 4. J. A. V.